

tes Rationes, in simili exemplari etiam fidelibus Statibus & Ordinibus Regni nostri Croatiae singulis annis submittet. Praeterea

Nono: siquidem Regias Tricesimas nostras hactenus in finibus Sclauoniae adversus Hungariam & Croatiam habitas, facta semel incorporatione per Commissarios nostros Regios, inde tolli & ad Confinia versus Turcicum ponenda transferri; Telonia vero in medio Syrmii & Sclauoniae reperibilia eousque, donec per Magistratum Comitatumensem, ad exigentiam Legum eatenus sancitarum, & signanter Articulorum 15. 1715 & itidem 15. 1723, nec non 28. nouissimae Diaetae reuidebuntur, & quae tollenda sunt, tollentur, & stabilienda stabiliuntur, vectigaliaque eorundem limitabuntur, in statu quo relinquenda esse benigne resolvissimus; ideo saepefatus Magistratus in gremio sui etiam praefatam Teloniorum reuisionem successive assumet & peraget, Relationemque idcirco fidelibus Statibus & Ordinibus Croatiae submittet; illos vero Teloniorum Possessores, quorum Telonia pro necessariis praevio modo inventa & stabilita fuerint, ad reparationem quoque & Conservationem Viarum & Pontium, observandumque et non excedendum ipsis praescriptum Vectigal, extrahendum item (si non habent) Regium teloniale Privilegium, adeoque satisfaciendum obligationi suae, juxta praecitas Leges effectivae adstringet; sine praehabito autem Regio Teloniali Privilegio nulla nova Telonia erigi admittet.

In reliquo autem Officiales Comitatus tam in concreto, quam in particulari, quibus illorum respectu Muneris & Officii seu generaliter ea etiam observabunt, quae Leges Regni praescribunt & iisdem observanda praecipiunt. — Quae omnia autem, ut debite observentur & in effectum deducantur, Administrator Officii Supremi Comitatus sedulam ac diligentem Curam habebit, Articuloque 56. Anni 1723 aliisque Regni Legibus de Officiis Supremorum Comitum sonantibus semet exacte conformabit. Et cum Comitatus etiam proprium Sigillum authenticum habere debeat, ideo, utprimum Magistratus praevio modo institutus & ad Activitatem positus fuerit, mox pro Sigillo ad Majestatem nostram recurret, & una etiam projectum illius Nobis exhibebit; interea autem in publicis Expeditionibus suis Sigillo Administratoris utetur. Et haec sunt, quae praefati Comitatus Magistratui pro Instructione hac vice & donec aliter disposuerimus, extradanda esse duximus & concedenda. Datum in Archi-Ducali Civitate nostra Vienna Austriae, die prima mensis Julii, Anno Domini millesimo septingentesimo quadragésimo quinto,

Maria Theresia m. p.

(L. S.)

Comes Ludovicus de Batthyán m. p.

Joannes Adelfy m. p.

*In inferiori margine:*

Extradatum per me Ig. Kovacsy m. p. Inclyti Comitatus Syrmienensis Juratum Archivarium

In Archivo Regni Croatiae. Acta R. Congregationum 1745.